Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1281
Quelle:
Copyright:

Goſwino de Hueuen alias de Arnhem Doctore in Medicina et Canonico B. *Mariae Trajectenſis ſuperior.* reſervato tamen uſu ſibi et Fratri ſuo *Johanni* pariter M. D. et Paſtori in *Hamont Leod.* Dioec. quin facultate revocandi donum; quod et fecit propria manu ſubjiciendo: *Placuit ut liber prefatus perpetuo maneret in facultate theologica Vniuerſitatis ſtudij Wyen.* Itaque ex teſtamento M. *Johannis Selingſtat* M. D. qui Facultati noſtrati Medicae a. 1493. nonum Decanus praefuit, traditus eſt *ad Librariam Collegij Ducalis ex oppoſito Fratrum Predicatorum* a. 1495. ab *Joh. Harrer de Heilbrun* S. T. D. et Academiae noſtrae quater Rectore, ut pluribus Codex in anteriore Theca.

DLXXII.

R. 2026 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 151. 4. min. per duas columnas pulcre ſcriptus, minio diſtinctus, et prius *Fratrum cartuſienſium in ſolitudine degencium in domo porte Beatiſſime ſemper Virginis Marie in Axpach ſita in Prouincia archiducatus Auſtrie* (inferior.) *prope Danubium inter montes in ſilua*, ita orditur: *Incipit prologus Breuiloquii Sancti bonauenture Ordinis fratrum minorum doctoris Seraphici atque cherubici.* Tardius acceſſit haec Rubrica; Exemplum enim ipſum vivo fortaſſis Autore, qui annum 1274. ſupremum habuit, deſcriptum fuit. Ejus initium eſt: *Flecto Genua mea ad patrem domini noſtri ihesu chriſti* &c. Pluries jam retuli hanc Ἐπιτομὴν totius Theologiae, quae T. VI. *Opp.* Edit. *Lugd.* 1668. p. 5. praeſto eſt. In praeſenti Codice poſtrema Membrana excidit, unde a verbis c. ult. *gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut* — — — cetera in charta tardius ſubpleta ſunt; adjecta item alia carpta ex *Auguſtino, Gerſone, Bonaventura, Benedicto* &c. Aſcetica, praecipue de Humilitate, quibus immorari operae pretium haud videtur; obſervandum ſolummodo, *Gerſonem* primum fuiſſe, qui *Bonaventurae* etiam *Cherubici* titulum indidit in Epiſtola de Ejus *Laudibus*, quae T. III. Edit. *Dupin.* P. 2. a p. 741. inter alias habetur.

DLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3074 XIV. Folior. 170. f. min. per duas columnas ſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim *Monaſterii Sancte Dorothee in vienna* complectitur haec. I. *Breuiloquium Boneventure.* Extat illud, ut paullo ante indicavi, in edit. *Opp. Lugd.* 1668. T. VI. p. 5. f. et incipit: *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri* &c. ſaepius a me relatum. Ad calcem: *Laus tibi ſit chriſte, quoniam liber explicit iſte. Explicit liber Breuiloquii boneventure per manus duorum* (quorum tamen characterem aegre diſtinguas) *Qui diuiditur in VII. partes. Anno Domini M° CCC° LXXXXV°. Jam Scriptor ceſſa, nam* (quoniam?) *manus eſt tibi feſſa.*